[illegible]

1. Beatificationis et Canonizationis V. S. Dei Catharinae a Pallantia et Julianae a Busto, Processus
2. Por el Colegio de S. Telmo contra la Inquisicion sre. un Censo = Madrid = Ulloa = 1790
3. Real Orden sre. instruccion publica de 12 de Octubre de 1824 con el plan de estudios
4. Ereccion y dotacion de Curatos del Arzbpdo. de Sevilla.
5. Sentença de Joseph de Seabra da Silva sobre o Scisma do Sigillismo = Lisboa = Regia = 1769.
6. Antiguedad y Estatutos del Arte de Plateria
7. Publicacion del breve Apostolico concediendo á la Corona las Tercias Reales = Madrid = Ibarra = 1783
8. Por el Dean y Cabildo de Sto. Domingo de la Calzada contra el Monasterio de S. Millan, sre. Diezmos
9. Pastoral del Obispo de Avila.
10 Idem del de Zaragoza.
11 Idem del Gobernador del Arzbpdo. de Sevilla.
12 Carta al Papa Clemente 12 del Arzbpo. de Toledo sre. la Beatifn. del Mtro. Juan de Avila.
13. Publicacion del Breve de Pio VI sre. el Synodo de Pistoya,
14. Peticion del Obispo de Valencia y otros Prelados sre. Subsidio. — n.º 21
15. Memorial al Rey sre. Regalias. — 22.
16. Escrito sre. jurisdiccion del Obispo de Almeria.
17. Pastoral del Arzbpo. de Toledo en 1794
18 Idem del Obispo de Salamanca en 1777
19 Idem del de Urgel en 1798
20 Testamento del Rey D. Carlos 2º.
21 Cartas ordenes del Rey sre. embargo de estrangeros
22 Pragmatica sobre procesos Civiles y Criminales = Valencia = Mey = 1637
23 Varias pragmaticas pª. el buen gobierno de Valencia y Cataluña.

SACRA RITUUM
CONGREGATIONE
Emo, & Rmo Dno Card.
CAVALCHINI
MEDIOLANEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVARUM DEI

CATHARINÆ A PALLANTIA

ET

JULIANÆ A BUSTO ARSITIO

Monialium Ordinis SANCTI AUGUSTINI
BEATARUM nuncupat.

POSITIO
SUPER DUBIO

An constet de Cultu ab immemorabili tempore præstito BEATIS CATHARINÆ A PALLANTIA, ET JULIANÆ A BUSTO ARSITIO, *& casu excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII., itaut Sententia lata per DD. Judices delegatos a cl. me. Card. Benedicto Odescalcho Archiepiscopo Mediolanen super eodem immemorabili Cultu, & casu excepto sit confirmanda in casu &c.*

ROMÆ MDCCLXIX.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

MEDIOLANEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVARUM DEI

CATHARINÆ A PALLANTIA

ET

JULIANÆ A BUSTO ARSITIO

Monialium Ordinis SANCTI AUGUSTINI BEATARUM nuncupat.

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An constet de cultu ab immemorabili tempore præstito BEATIS CATHARINÆ A PALLANTIA, ET JULIANÆ A BUSTO ARSITIO, *& casu excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII., ita ut Sententia lata per DD. Judices delegatos a cl. me. Card. Benedicto Odescalcho Archiepiscopo Mediolanen super eodem immemorabili cultu, & casu excepto sit confirmanda in casu &c.*

Eme, & Rme Dne.

1 MATURE discusso Processu auctoritate ordinaria constructo per DD. Judices delegatos a clar. mem. Card. Benedicto Odescalco Archiepiscopo Mediolanen super sanctita vitæ, & publico cultu a tempore immemorabili præstito VEN. ANCILLIS DEI CATHARINÆ A PALLANTIA, ET JULIANÆ A BUSTO ARSITIO BEATIS nuncupat., omnibusque concurrentibus requisitis ad signandam commissionem introductionis Causæ necessariis, ac prævio favorabili rescripto Sac. hujus Rit. Congregationis diei 6. Septembris 1758. signata fuit a sa. me. Clem. XIII. commissio introductionis ejusdem Causæ, *Summ. num.* 1.

2 Præfata commissione signata, cum Causæ Postulatores notitiam habuerint, plura alia adesse antiqua monumenta confirmantia publicum immemorabilem cultum præfatis *Beatis* præstitum, valde opportunum putarunt devenire ad alterius Processus constructionem, ac propterea demisse supplicarunt Sac. huic Rit. Congregationi pro expeditione literarum remissorialium, & compulsorialium dirigendarum Eminentissimo, ac Reverendissimo D. Cardinali Archiepiscopo Mediolanen., seu ejus Vicario Generali, seu alteri in Di-

Dignitate Ecclesiastica constituto ab eodem Eminentissimo D. Card. Archiepiscopo deputando, cum facultate, ut eorum alter constructioni petiti Processus assistere valeret, & cum omnibus aliis facultatibus necessariis, & opportunis, & Sac. eadem Congregatio prædictas remissoriales, & compulsoriales literas relaxari, & expediri indulsit, veluti resultat ex tenore earumdem literarum *Proc. Apost. fol.*48. *ad* 70.

3 Absoluto autem præfato Processu, & ad Urbem transmisso, ac in actis ipsius Sac. Rit. Congregationis exhibito, cum modo Causæ Postulatores juxta formam, & tenorem supradictæ commissionis discutiendum proponant alterum Dubium super cultu publico ab immemorabili tempore ante notissima Decreta sa. me. Urbani VIII. prædictis *Beatis* exhibito, seu casu excepto ab eisdem Decretis, in spem certam eriguntur, Eminentissimos Patres *affirmativè* eidem fore responsuros, prout humillime supplicant, eò quòd in dubium revocari minime valet tam validitas Processuum, quàm idem publicus cultus ab immemorabili tempore eisdem *Beatis* exhibito, ut mox infra demonstrabitur.

De validitate Processus Informativi.

4 SEries actorum Processus auctoritate ordinaria in hac Causa constructi, quam in breve reductam compendium subjicimus oculis EE. Suffragantium manifestissime demonstrat illius validitatem. Siquidem cum nostris *Beatis* statim post earum in Domino obitum, ac successivis temporibus quamplures publici cultus species fuerint exhibitæ, scientibus, & tolerantibus Ordinariis, cumque fama Sanctitatis earumdem semper in dies percrebuerit, tandem Moniales Monasterii S. Mariæ supra montem Varisii Dioecesis Mediolanen cupientes Sanctarum albo adscribi tam Beatam Catharinam a Pallantia dicti Monasterii Fundatricem, quàm Beatam Julianam a Busto Arsitio illius sociam, specialiter in Procuratorem deputarunt R. D. Joannem Mariam Macinagum, ut earum nomine instaret pro compilatione Processus tam super fama sanctitatis ipsarum *Beatarum*, quàm super ecclesiastico cultu publice ab immemorabili tempore eisdem exhibito, ideo idem Procurator in Causa specialiter constitutus, veluti ex procuræ mandato, de quo *Summ. num.*2. *pag.*3. comparuit die 6. Junii 1722. coram cl. me. Cardinali Benedicto Odescalco Archiepiscopo Mediolanen., atque, mediante supplici libello, demisse eidem supplicavit, ut ordinaria sua auctoritate procedere dignaretur ad constructionem dicti Processus. Verum cum idem Emus, & Rmus D. Cardinalis Archiepiscopus gravissimis suæ Dioecesis curis pressus interesse minime valeret hujusmodi Processus constructioni, deputavit ad hunc effectum Vicarium suum Generalem, aliosque binos Conjudices, elegit insuper Fidei Sub-Promotorem, & Notarium actuarium dicti Processus, atque tandem deputato Cursore pro exequendis citationibus, ac destinatis locis pro juramentis, & examine Testium recipiendo, tribuit DD. Judicibus ab ipso delegatis omnes facultates necessarias, & opportunas. *Proc. fol.*13. *ad* 17. *ter.*

5 Hisce præhabitis, sub die 7. Aprilis 1724. coram dictis Judicibus delegatis pro Tribunali sedentibus comparuit Nuncius, seu Cursor deputatus, atque reproduxit in actis citationem prævie relaxatam, & a se personaliter exequutam contra Promotorem Curiæ Archiepiscopalis Mediolanen in Sub-Promotorem Fidei deputatum ad dicendum contra memoriale, ac rescriptum Emi D. Ordinarii, atque juxta illius formam, & tenorem videndum acceptari jurisdictionem, & præstari juramentum, & quatenus opus fuerit,

con-

confirmari Sub-Promotorem, Causæ Actuarium, Cursorem, seu Nuncium, ac loca pro juramentis, & examine Testium destinata, necnon omnibus juramentum deferri. In hujus citationis termino personaliter comparuit Causæ Procurator specialiter constitutus coram iisdem DD. Judicibus delegatis, ac mandatum procuræ in sui personam expeditum, supplicemque libellum, cum rescripto in calce, Emi, & Rmi D. Ordinarii eisdem reverenter exhibuit, & ad executionem contentorum in eadem citatione deveniri instituit, *Proc. fol.*20. *& seqq.* Præfatique DD. Judices delegati, post emissam a Promotore Fiscali solemnem protestationem circa exactam observantiam Decretorum generalium, & novissimorum Sac. Rit. Congregationis, præfata jura admiserunt, atque ad ulteriora procedere intendentes in compilatione dicti Processus, primo loco jurisdictionem sibi delegatam solemniter acceptarunt, ac in manibus ipsius Emi, & Rmi D. Ordinarii juramentum unus post alterum, tactis sacrosanctis Dei Evangeliis tam de fideliter adimplendo munere sibi commisso, quàm de servando secreto præstiterunt; subinde iidem DD. Judices delegati ad abundantiorem cauthelam iterum acceptata jurisdictione, elegerunt loca, locorumque loca tam pro audientiis, & actis publicis, quàm pro recipiendis juramentis, & examinibus Testium, unà cum destinatione dierum, & horarum pro sessionibus habendis; ac juramentum receperunt a Promotore Fiscali, Notario Causæ actuario, prævia exhibitione in actis privilegii sui notariatus Apostolici, & Cursore, seu Nuncio, nec non calumniæ juramentum a Causæ Procuratore, quemadmodum de hisce omnibus liquet *Proc. fol.*21. *ad* 44. *ter.*

6 In termino deinde alterius citationis contra Promotorem Fiscalem personaliter executæ ad dicendum contra jura, & articulos, idem Causæ Procurator illos in actis exhibuit, ac Testes super eis examinari instituit. Instituit etiam, ut Promotor Fiscalis juxta decretum DD. Judicum interrogatoria produceret, *Proc. fol.* 45. *ad* 50., dictisque Interrogatoriis exhibitis, atque admissis, iidem DD. Judices delegati mandarunt, ut Testes examinarentur prius juxta eadem interrogatoria, ac deinde super articulis, *Proc. fol.*69. *ter.*, *& seqq.* Hisque omnibus rite peractis, per eosdem DD. Judices delegatos inchoatum fuit examen prædictorum Testium, receptisque debitis cum solemnitatibus, & cauthelis depositionibus quinque Testium a Procuratore Causæ inductorum, binos alios ab ipsis DD. Judicibus delegatis ex officio vocatos juxta mentem decretorum novissimorum examinatos fuisse, liquet ex eorum tabella data *præsenti Summ. num.* 3. *pag.*6., *& seq.* ex qua manifestissime apparet, singulos præfatos Testes fuisse prius legittime inductos, deinde citatos, ac demum, prævio juramento, singillatim, & secretò examinatos, necnon servatas desuper fuisse omnes, ac singulas alias formalitates, solemnitates, & cauthelas pro ritualitate ipsorum examinis necessarias, & opportunas, resultat ex actis ejusdem Processus *a fol.*104. *ad* 224. *ter.*

7 Omnium Testium examine superius recensita methodo completo, cum in archivo Monasterii Monialium sacri Montis Varisii extarent custodita quam plura monumenta, & jura ad Causam facientia, & præcipue ad immemorabilem cultum utrisque Ancillis Dei exhibitum validius comprobandum, instituit Causæ Procurator, ut ad eorumdem jurium, aliorumque omnium alibi etiam extantium legalem compulsationem legitime, servatisque servandis dicti DD. Judices delegati procederent, *Proc. fol.*229., *& seqq.* Expeditisque proinde ad hunc effectum opportunis citationibus tam contra Promotorem Fiscalem ad assistentiam præstandam, quàm contra archivi custodem ad jura exhibenda, fuerunt illa per DD. Judices delegatos formi-

miter recognita, extracta, & in præsentem Processum, servatis omnibus solemnitatibus, formalitatibus, & cauthelis de jure præscriptis, inserta, & compulsata, veluti liquet ex perlustratione ejusdem Processus *fol.*243. *ter. ad* 466.

8 Peracta compulsatione jurium, DD. Judices delegati devenerunt ad judicialem recognitionem Cappellæ, & sepulchri Beatæ Catharinæ a Pallantia, indeque ad recognitionem sepulchri Beatæ Julianæ a Busto Arsitio, nec non omnium imaginum easdem Beatas repræsentantium intra, & extra Monasterii septa existentium cum signis publicum ecclesiasticum cultum præseferentibus, ad quem effectum electi fuerunt bini Periti Pictores, eisque delatum fuit consuetum juramentum de adimplendo munere sibi commisso, ac postea præfati DD. Judices unà cum Promotore Fiscali, Notario actuario, ac Testibus personaliter se contulerunt ad sepulchra earumdem Beatarum, & earum sacra visitarunt corpora, mandantes describi accurate omnia, quæ ibi retinebantur, *Proc. fol.*466. *ter. ad* 523. *ter.* His autem, & aliis, quæ necessaria erant, rite, ac legitime expletis, servatisque omnibus, & singulis terminis substantialibus, nec non citato, & præsente Promotore Fiscali, ad instantiam Procuratoris Causæ iidem DD. Judices delegati definitivam suam sententiam protulerunt, declarantes, *constare dictis Servis Dei Catharinæ a Pallantia, & Julianæ a Busto Arsitio publicum cultum exhiberi, & exhibitum fuisse, nedum scilicet a centum annis ante prædicta Decreta jussu sa. me. Urbani Papæ VIII. edita, sed etiam ab ipso obitu præfatarum Servarum Dei Catharinæ a Pallantia, & Julianæ a Busto Arsitio, & hoc scientibus, & tolerantibus Ordinariis pro tempore Ecclesiæ Metropolitanæ præfatæ; ac proinde Causam istam versari in casu excepto a prædictis Decretis jussu sa. me. Urbani VIII. editis &c.* prout de his omnibus constat tam ex tenore ejusdem sententiæ *Summ. num.*6. *pag.*12., quàm ex actis præviis ad ipsius publicationem, *Proc. fol.*531. *ad* 542.

9 Prolata, & publicata supradicta sententia de anno 1729. Processus fuit repositus in Archivo Curiæ Archiepiscopalis Mediolanen., & nihil in Causa fuit gestum usque ad annum 1754., quo tempore cupientes supradictæ Moniales sacri Montis Varisii, ut a Summo Pontifice approbaretur publicus cultus præfatis Ancillis Dei ab immemorabili tempore exhibitus, & confirmaretur supradicta sententia, mediante supplici libello per Procuratorem ab ipsis denuo constitutum institerunt apud moderuum Emum, & Rmum D. Archiepiscopum Mediolanen,, ut legale transumptum dicti Processus ad Urbem trasmittendum fieri mandaret, qui Eminentissimus, & Reverendissimus D. Archiepiscopus petitis annuens, ut omnia debita cum legalitate peragerentur, non valens ipse suam præstare assistentiam, deputavit ad omnia pro eodem effectu peragenda in Judices Vicarium suum Generalem, binosque suæ Ecclesiæ Metropolitanæ Canonicos, Promotorem Fiscalem suæ Curiæ Archiepiscopalis, Notarium Apostolicum, & Cursorem dictæ suæ Curiæ, qua deputatione peracta, DD. Judices delegati jurisdictionem acceptarunt, & juramentum de fideliter adimplendo munere præstiterunt, indeque juramentum detulerunt Promotori Fiscali, Notario, atque Cursori, nec non juramentum calumniæ Procuratori Causæ, prout liquet *dicto Proc. fol.*542. *ter. ad* 549. *ter.*

10 Præstitis prædictis juramentis, ad instantiam Causæ Procuratoris præfati DD. Judices delegati mandarunt perquiri in supradicto Archivo Archiepiscopali Processum, quo reperto, & pro legali recognito, deputarunt Scriptores pro conficiendo transumpto, quo completo, ad illius collationem, & auscultationem cum originali per jam deputatum Notarium, & alterum in adjun-

junctum electum, & juratum devenerunt, collatione vero absoluta, atque consueta attestatione super omnimoda concordantia ejusdem cum actis originalibus per utrumque Notarium in ejus calce apposita, iidem DD. Judices delegati suum desuper judiciale Decretum interposuere super legittima, & fideli auscultatione, & concordantia copiæ cum originali, *d. Proc. fol.* 551. *ad* 606. Tandem delato juramento Portitori ab eisdem electo, decretaque asportatione Processus originalis ad Archivum Archiepiscopale, præfatum transumptum debitis subscriptionibus, & legalitatibus tam ad intra, quàm ab extra munitum eidem Portitori consignaverunt, ad effectum Romam deferendi, atque in actis Sac. hujus Rit. Congregationis præsentandi, prout fideliter adimpletum fuit, *Proc. fol.* 607. *ad fin.*, *& fol.* 1. *& seqq.*

11 Ex his igitur omnibus breviter recensitis, evidentissimè apparet, ea omnia fuisse adamussim impleta, quæ pro rituali actorum compilatione, ac pro legali Testium examine, juriumque compulsatione tam ex dispositione juris communis, quàm ex lege Decretorum generalium, & novissimorum Sac. hujus Rit. Congregationis præscribuntur, & consequenter patentissima redditur validitas hujus Processus Informativi.

De validitate Processus Apostolici.

12 DIligentissime, veluti patet ex revolutione actorum, constructus dignoscitur Processus auctoritate Apostolica compilatus, prout brevi pariter sermone telam judiciariam servatam exponendo, apparebit. Siquidem ad Civitatem Mediolanensem delatis literis remissorialibus, & compulsorialibus relaxatis, & expeditis ab hac Sac. Rit. Congregatione, R. D. Carolus Joachim Villa Procurator specialiter constitutus a RR. Monialibus Monasterii S. Mariæ sacri Montis supra Varisium, ut constat ex procuræ mandato, *Summ. num.* 4. *pag.* 7. comparuit coram Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Puteobonelli Archiepiscopo Mediolanen. Judice ab hac Sac. Rit. Congregatione delegato, eique exhibuit plicum earumdem literarum remissorialium, & compulsorialium clausum, & obsignatum unà cum altero plico Reverendissimi Promotoris Fidei continente deputationem Sub-Promotoris, clauso pariter, & sigillato, institiitque illos recipi, aperiri, atque ad executionem contentorum in eis procedi; at præfatus Eminentissimus, & Reverendissimus D. Archiepiscopus, attentis suæ Diœeesis gravibus curis, instantiam remisit Vicario suo Generali cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis, ut patet *Proc. fol.* 7. *& seqq.*

13 Attenta supradicta remissione instantiæ, idem Causæ Procurator comparuit coram Reverendissimo D. Vicario Generali Mediolanen., eique exhibuit prædictum plicum literarum hujus Sac. Rit. Congregationis, ac pariter institit, ut procederet ad executionem omnium contentorum in illis, qui Reverendissimus D. Vicarius Generalis præfatas literas reverenter accipiens, seque promptum, & paratum ad illarum executionem offerens, illis integris, & absque ullo vitio recognitis, citari mandavit Promotorem Fiscalem Curiæ Archiepiscopalis per Reverendissimum Promotorem Fidei in alterum ex Sub-Promotoribus deputatum ad comparendum pro die, & hora certis, ac assistendum prædictarum literarum aperitioni, & lecturæ, atque contra eas opponendum quidquid ipsi expediens, & opportunum visum fuerit, *d. Proc. fol.* 10. *ter.*, *& seqq.*

14 Adveniente autem die in supradicta citatione destinata, comparuit iterum in Judicio præfatus Causæ Procurator, iterumque coram eodem Reverendissimo D. Vicario Generali Judice delegato institit, ut ad aperitionem prædicta-

cta-

ctarum literarum, atque ad executionem præscriptorum in eis deveniret; qui Reverendissimus D. Judex, inhærendo instantiæ, primo loco dictum plicum literarum remissorialium sedulo, & accurate recognovit, eoque integro, nullaque in parte vitiato reperto, ad illius aperitionem, & lecturam procedi decrevit, prout illico, & incontinenti peractum fuit; completaque hujusmodi lectura, ad iteratam instantiam Causæ Procuratoris idem Reverendissimus D. Judex jurisdictionem sibi commissam solemniter acceptavit, seseque Judicem competentem declaravit, ac deinde juramentum de ejus munere fideliter, & exacte explendo, deque secretum servando, prout in eisdem remissorialibus literis erat injunctum, præstitit. Quo peracto, ac exhibito plico literarum Reverendissimi D. Fidei Promotoris, eoque pariter integro, & nulla in parte vitiato recognito, lecta fuit epistola dicti Reverendissimi D. Fidei Promotoris, ad cujus tenorem electus fuit alter Fidei Sub-Promotor, qua deputatione sequuta, uterque Fidei Sub-Promotor, munere sibi ipsis commisso acceptato, in manibus ejusdem Reverendissimi D. Judicis supradictum præstitit juramentum, *dicto Process. fol.* 25. *ter. ad* 33.

15 Ad ulteriora insuper procedere intendens idem Reverendissimus D. Judex, juxta formam in dictis remissorialibus literis præscriptam, ad nominationem, ac deputationem Notarii actuarii devenit, illoque coacto ad exhibendum in actis sui notariatus apostolici privilegium, simile juramentum ipsi detulit, tam nempe de fideliter, & exacte suo munere explendo, quàm de secretum servando juxta formulam in eisdem literis traditam, quo juramento præstito a præfato Notario in actuarium deputato, idem Reverendissimus D. Judex primo demandavit registrationem literarum remissorialium, & consignationem omnium actorum hactenus gestorum per Notarium ad hæc primordialia acta adhibitum præfato Notario in actuarium deputato, indeque deputavit Cursores pro exequendis citationibus, eisque juramentum detulit de fideliter munere exercendo, atque demum juxta formam in sæpecitatis literis præscriptam deputavit loca tam pro audientiis, & actis publicis, quàm pro juramentis, & examinibus Testium recipiendis, nec non dies juridicos non festivos, ac horas pro sessionibus habendis destinavit, veluti resultat ex *d. Proc. fol.* 34. *ter. ad* 81.

16 Quibus omnibus peractis, Causæ Procurator, prævia repetitione sui mandati procuræ, coram Reverendissimo D. Judice adhuc pro Tribunali sedente reproduxit articulos in literis remissorialibus insertos, exhibuitque notulam Testium super illis examinandorum cum specificatione nominum, & cognominum eorumdem, ac demum petiit decerni, relaxarique citationem contra alterum Fidei Sub-Promotorem ad dicendum contra jura, & articulos nec non ad videndum Testibus inductis juramentum deferri, deindeque examinari, idemque Reverendissimus D. Judex, his omnibus auditis, & mature ponderatis, inhærendo protestationi per Fidei Sub-Promotorem emissæ, calumniæ juramentum primo loco detulit præfato Procuratori in Causa comparenti, deindeque, prævia omnium jurium, & articulorum admissione, opportunas citationes decrevit, relaxarique mandavit tam contra Testes inductos ad sese juramento, & examini subjiciendum, quàm contra alterum Fidei Sub-Promotorem ad assistentiam præstandam, ac adveniente die in citationibus destinata delatum fuit Testibus inductis juramentum seorsim, & separatim tam de veritate dicenda, quàm de secreto servando juxta formulam in literis remissorialibus pro Testibus traditam, sicuti liquet *d. Proc. fol.* 85. *ad* 106. *ter.*

17 Expletis supradictis actis, electus fuit novus Vicarius Generalis Mediolanen., ideo-

ideoque hic in Judicem ſubrogatus, antequam ullum gereret actum, lectæ eidem fuerunt prædictæ literæ remiſſoriales, quarum tenore audito, acceptavit juriſdictionem ſibi commiſſam, prævia remiſſione eidem facta ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo, indeque juramentum præſtitit de fideliter exercendo munere, & ſecreto ſervando juxta eamdem formam præſcriptam in ſæpe enunciatis literis remiſſorialibus, ac demum ad inſtantiam Cauſæ Procuratoris relaxavit citationem tam contra unum ex Teſtibus inductis ad ſeſe examini ſubjiciendum, quàm contra alterum Fidei Sub-Promotorem ad interveniendum, atque exhibendum interrogatoriorum plicum clauſum, & obſignatum in actu examinis dumtaxat aperiendum, ut patet *d. Proc. fol.* 107. *ad* 119. *ter.*

18 In termino relaxatæ, & expeditæ citationis comparuit coram Reverendiſſimo D. Judice Teſtis jam citatus, ac præſente, & proteſtante de more altero Fidei Sub-Promotore, inchoatum fuit illius examen, reiterato prius ab eodem juramento, atque aperto in ipſo examinis actu plico interrogatoriorum Reverendiſſimi D. Fidei Promotoris, eoque poſt completam ſeſſionem unà cum ipſa Teſtis depoſitione iterum clauſo, & obſignato in fine omnium ſeſſionum examinis Teſtis, ſicuti præſcribitur in literis remiſſorialibus, *d. Proc. fol.* 120. *ad* 153.

19 Conſimili diligentia, & ſedulitate idem Reverendiſſimus D. Judex devenit ad receptionem examinis omnium Teſtium a Procuratore Cauſæ inductorum, præviis nempe opportunis citationibus per ipſum relaxatis, atque per Curſorem deputatum perſonaliter executis tam contra alterum Fidei Sub-Promotorem, quàm contra Teſtes ipſos examinandos, prævia rurſus juramenti reiteratione præſtita per unumquemque Teſtem tam in exordio examinis, quàm in quacumque illius continuata ſeſſione, prævia inſuper aperitione plici interrogatoriorum, & depoſitionum jam receptarum in principio cujuslibet ſeſſionis, eorumque clauſura in fine, atque demum appoſitis ſemper ſubſcriptionibus in fine tam ipſius Teſtis examinati, Reverendiſſimi D. Judicis, & alterius Sub-Promotoris Fidei, quàm Notarii actuarii, prout manifeſtiſſime eruitur ex perluſtratione *Proceſſus a fol.* 153. *ad* 429.

20 Stante autem complemento examinis omnium Teſtium a Procuratore Cauſæ inductorum, ac jam emiſſa per ipſum in actis conſueta declaratione, ſe nolle alios Teſtes inducere, examinique ſubiicere, ipſe Reverendiſſimus D. Judex, ejuſmodi attenta declaratione, atque inhærendo formæ ſibi præſcriptæ in ipſis literis remiſſorialibus, ad inſtantiam alterius Fidei Sub-Promotoris binos alios Teſtes ex ejus officio vocavit, citarique mandavit, & ſucceſſive, prævia præſtatione juramenti, ſingillatim examinavit, ſervatis adamuſſim omnibus ſuperius expenſis ſolemnitatibus, atque cauthelis præſcriptis in eiſdem Sac. Rit. Congregationis literis, ut patet ex *eod. Proc. fol.* 457. *ter. ad* 509.

21 Abſoluto autem modo, quo ſupra, omnium Teſtium examine, cum Cauſæ Procurator non ſolum per Teſtes comprobare intenderet immemorabilem cultum exhibitum Ven. Dei Ancillis, ſed etiam per antiqua documenta, & monumenta ad cauſam facientia, ideo eorum notulam produxit, atque inſtitit ex ſuis reſpective archivis extrahi, recognoſci, & ad eorumdem compulſationem legitime, ſervatiſque ſervandis procedi, nec non deveniri ad judicialem viſitationem Eccleſiæ, & Cappellæ, in qua cuſtodiuntur ſacra Beatarum corpora, omniumque Imaginum eas repræſentantium non ſolum in dicta Eccleſia, ſed etiam intra ſepta Monaſterii, & extra, ac in aliis locis, præſertim in Oppido Buſti Arſitii.

Præ-

22 Prædictæ instantiæ annuens Reverendissimus D. Judex, ut omnia explerentur servatis omnibus solemnitatibus, formalitatibus, & cauthelis de jure præscriptis, elegit binos Peritos Pictores, aliosque binos Scriptores, quibus juramentum detulit de fideliter explendo munere sibi ipsis iniuncto, inde primò devenit ad judicialem recognitionem Cappellæ, in qua dicta sacra Beatarum Corpora asservantur, necnon omnium imaginum, quæ easdem Beatas cum signis, & indiciis publicum cultum præseferentibus repræsentant, aliorumque monumentorum eumdem immemorabilem publicum cultum confirmantium, ac absoluta præfata legali recognitione, idem Reverendissimus D. Judex processit ad compulsationem omnium documentorum respicientium cultum prædictis Beatis exhibitum, præsentibus semper in cunctis respectivè recognitionibus ipso Reverendissimo D. Judice, altero Fidei Sub-Promotore, Notario actuario, Peritis, ac duobus Testibus ad præmissa vocatis, super quibus omnibus, servatis cunctis solemnitatibus, recepit seorsim, & separatim examen cujuslibet ex dictis Peritis electis, qui sub interrogatoriis, prævio semper juramento, judicium, ac sententiam protulerunt super antiquitate, & authenticitate omnium monumentorum, veluti desumitur ex revolutione ejusdem Processus *a fol.* 510. *ad* 1164.

23 Integre absoluto Processu, eoque ad Procuratoris instantiam publicato, Reverendissimus D. Judex decrevit fieri ejusdem copiam ad hanc Sac. Rituum Congregationem transmittendam, atque ad hunc effectum deputavit amanuenses, eisque prævia delatione juramenti de commisso ipsis munere fideliter, & exactè explendo, omnia originalia Processus acta ad transcribendum tradidit, *Proc. fol.* 1164. *ter. ad* 1169. Cum vero completa fuerit per amanuenses, atque in actis exhibita unà cum actis originalibus copia, seu transumpto, idem Reverendissimus D. Judex demandavit fieri collationem prædictæ copiæ cum actis originalibus per Notarium actuarium, ac Notarium adiunctum, jam aliàs electum, & juratum pro collatione documentorum, quæ fuerunt in Processum compulsata, ut constat *Proc. fol.* 799. *ter. & seq.* prout statim, & incontinenti per utrumque Notarium inchoata fuit, & successive prosequuta usque ad illius integrum complementum, cum assidua assistentia alterius Fidei Sub-Promotoris, prout resultat *dicto Proc. fol.* 1192. *ad* 1233.

24 Supradicta collatione completa, præfati ambo Notarii fidem de ea fecerunt, testantes dictam copiam fuisse per eos fideliter, & diligenter collationatam cum ipsis actis originalibus, similemque declarationem fecit etiam ipse Reverendissimus D. Judex, interponendo insuper super præmissis suam auctoritatem, & decretum quodcumque necessarium, & opportunum, *Proc. fol.* 1233. *ad* 1238. Relaxataque deinde, ac executa citatione contra Fidei Sub-Promotorem, ipsoque in illius termino comparente, idem Reverendissimus D. Judex deputavit Portitorem pro deferendo ad Urbem dictum transumptum Processus, eique juramentum de fideliter commisso sibi munere explendo detulit, atque demum ad authenticationem, clausuram & obsignationem processit, sicque clausum, & obsignatum, debitisque legalitatibus tam ad intra, quàm ab extra munitum, unà cum epistola responsiva ad eamdem Sac. Rituum Congregationem Portitori deputato tradidit, ad hoc ut Romam deferret, & in actis ejusdem Sac. Congregationis exhiberet, sicuti fideliter, & exactè adimpletum extitit, prout colligitur *dict. Process. fol.* 1242. *ad fin.*, *& fol.* 1. *& seqq.*

25 Cum igitur manifestissime constet tum de validitate actorum hujus Processus, tum de rituali Testium examine, ac de legitima recognitione monumentorum,

torum, juriumque omnium compulsatione, nullum penitus dubium exoriri potest quoad hujus Apostolici Processus validitatem.

De Relevantia.

26 PRÆTERMISSA enarratione sanctæ vitæ, ac virtutum, quibus refulserunt Beata Chatarina, ejusque socia Beata Juliana, nec non insignis famæ sanctitatis, quæ de illis viguit tum in vita, tum post obitum usque ad præsentem ætatem, cum hæc omnia, ultra earum vitæ historiam adductam annexo *Summ. num.*7. *pag.*16. *ad* 40. *ter.* jam satis superque ostenderimus sub congruo Dubio, cum scilicet signata fuerit Causæ commissio, modò assumimus dumtaxat examen demonstrandi, quod prædictis Beatis Dei Ancillis exhibitus fuerit publicus ecclesiasticus cultus ab immemorabili tempore, per centum nempe annos ante notissima san. mem. Urbani VIII. Decreta, & hic prosequutus etiam cum augmento usque in præsens, id quod facillime patebit ex iis venerationis speciebus, quas mox infra referemus.

27 Profecto inter plures species publici ecclesiastici cultus exhibiti Beatæ Catharinæ a Pallantia Fundatricis Monasterii S. Mariæ supra Montem Varisii Diœcesis Mediolanensis, ac Beatæ Julianæ a Busto Arsitio illius sociæ principem locum obtinet titulus Beatæ, quo utraque Ven. Dei Ancilla statim post obitum ab omnibus tum scripto, tum voce fuit condecorata. Siquidem probatio hujus insignis denominationis, ac tituli concludentissima habetur tam quoad tempus præcedens centenarium annorum numerum ante Constitutionem Urbanam, quàm quoad tempus decurrens in ipso centenario numero, ac tempus post dictam Constitutionem usque ad præsentia tempora.

28 Et sane pro eo quod attinet ad tempus præcedens centenariam præscriptam in generalibus Decretis san. mem. Urbani VIII., hæc manifestissime resultat ex historia vitæ earumdem conscripta post earum fælicem in Domino obitum a Sorore Benedicta Bimia earum Consorore, & socia, quæ de visu heroica gesta, eximias virtutes, & celebrem sanctitatem enarrans Vener. Ancillarum Dei, eas *Beatarum* titulo appellat, sicuti videre est in *Sum.* cit. *num.*7. *pag.*16. *ad* 40. *ter.*, ubi utriusque Beatæ historias integrè dedimus. Quod autem prædicta Soror Benedicta Bimia fuerit socia earumdem Beatarum, & præfatas conscripserit historias, nullatenus revocare potest in dubium, cum Periti Scriptores legitime, ac formaliter examinati *Proc. Apost. fol.*835. *ad* 837. 868 *&* 869., *ac* 1027. *ter. ad* 1037. minime dubitaverint, asserere, utriusque Beatæ historiam fuisse exaratam a supradicta Sorore Benedicta Bimia; id quod confirmatur etiam, ultra alios, a clar. mem. Federico Cardinali Borromæo Mediolani Archiepiscopo in suo opere, cui titulus *de amore virtutis*, in quo enarrat sanctam vitam nostrarum Beatarum, prout patet *eod. Proc. fol.*1056. *ter.*, *& seqq.*; imo evidentissima probatio quoad eumdem *Beatæ* titulum multo ante præfatam constitutionem Urbanam, quo condecorata fuit Ven. Dei Ancilla Catharina, desumitur ex authenticis, publicisque Notariorum instrumentis Confectis super miraculis intercessione ejusdem Beatæ obtentis a Fidelibus, qui illius patrocinium apud Deum in propriis necessitatibus implorarunt, quæ instrumenta leguntur *Summ. cit. num.*7. *pag.* 31. *ad* 34., pluribusque aliis certis monumentis prætermissis, patet, eumdem Beatæ titulum tributum fuisse Ven. Ancillæ Dei Catharinæ a clar. mem. Cardinali Gurcensi anno 1497. in concessione Indulgentiæ quadraginta dierum elargita Monialibus Monasterii S. Mariæ supra Montem Varisium, ut patet *Summ. cit.*

 *n.*7.

*num.*7. *pag.*34. §.153. Insuper probatio ejusdem tituli *Beatarum*, quo appellatæ fuerunt Venerabiles Dei Famulæ post earum obitum, resultat ex antiquissima memoria conscripta in charta pergamena appensa prope chorum Monasterii, in qua revocatur ad Monialium memoriam accensio luminum recurrente illarum festivitate, *Summ. num.* 10. *pag.* 103. §. 20. *ad* 22. Ex hisce itaque legittimis, ac certissimis monumentis per centum, & ultra annos ante Decreta san. mem. Urbani VIII. confectis constat, quod insigni *Beatæ* titulo fuerit appellata utraque Ven. Dei Ancilla requisito centenariæ tempore ante laudata Decreta.

29 Quod vero spectat ad tempus decurrens in ipso centenario numero, eadem denominatio *Beatæ* respiciens utramque Ven. Dei Ancillam concludentissime evincitur ex pluribus Scriptoribus, qui in suis operibus Ven. Dei Ancillas *Beatæ* titulo condecorarunt; Paulus enim Morigia in suo opere, cui titulus; *Istoria dell'origine della gloriosa Madonna del Monte sopra Varese*: typis edito Mediolani anno 1549., ac in alio, cui titulus; *Sommario delle cose mirabili della Città di Milano*; quorum operum particulæ compulsatæ sunt in Processum Apostolicum *fol.* 1070. *ter. ad* 1078. *Beatas* appellat Ven. Dei Ancillas, Antonius Crispi in suo opere, cui titulus; *Insubria*: conscripto de anno 1614. eumdem *Beatæ* titulum tribuit Ven. Dei Famulæ Julianæ, prout patet *Summ. pag.* 41. §.211. His accedit clar. mem. Cardinalis Federicus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis in suo opere, cui titulus: *De amore virtutis*: typis Mediolanen. anno 1623. qui, referendo Ven. Dei Ancillarum vitam, easdem *Beatas* denominat, prout resultat ex particulis dicti operis *Process. Apost. fol.* 1056. *ad* 1069. Sed tempus, laboremque terimus in recensendis Scriptoribus, qui tempore decurrente in ipso centenario annorum numero sua opera conscripserunt, quique in illis *Beatas* denominant Ven. Dei Ancillas, cum habeamus facta Archiepiscoporum pro tempore Mediolanensium, qui in visitationibus ab eisdem peractis Ecclesiæ, in qua coluntur sacra *Beatarum* corpora, illis *Beatæ* titulum tribuunt, prout constat ex visitationum actis, *Summ. num.*8. *pag.*64. *ter. & seq.*, inter quas adsunt personales visitationes S. Caroli Borromæi Archiepiscopi. Quæ visitationum acta quanti sint ponderis, ostendemus infra, ubi de iis redibit sermo.

30 Demum post editam Urbanam Constitutionem usque ad præsentia tempora eumdem *Beatæ*, ac etiam Sanctæ titulum fuisse semper tributum Ven. Dei Ancillis, manifestissime desumitur ex instrumento ultimæ voluntatis quondam Nicolai Cid Civis Matritensis rogato de anno 1648., in quo reliquit legatum pecuniarium pro ornandis sacris utriusque Beatæ Corporibus, veluti liquet *Summ. pag.*64. §.100., aliisque omissis, probatur etiam ex pluribus concessionibus peractis ab Ordinariis Mediolanen., *Summ. pag.*64. §.99., *pag.*66. §.118., *pag.*67. §.119., *pag.*104. §.1. *& seqq.*, ac alibi *sparsim in Process. Apost. compulsat.*, necnon ex Testibus formiter examinatis, *eod. Summ. num.*7. *pag.*41., *& seqq.* Quod autem denominatio, ac titulus *Beati*, & *Sancti*, qui cadit super personam alicujus Ven. Servi Dei, veluti verificatur de nostris Ven. Dei Ancillis, non vero super vitam, & mores, importet publicum cultum, late tradunt, & firmant Belarmin. *de Sanctor. beatitud. lib.*1. *cap.*7. *vers. Primum enim*. Pasqualig. ad Lauret. de Franch. *controvers. inter Episcop. & Regular. quæst.*13. *sub num.*1223. *vers. si enim*. Castellin. *de certitud. glor. Sanctor. considerat.* 2. *ad cap.*1. *Elucidarii num.*18. *& seq.* Contelor. *de Canoniz. Sanctor. cap.*22. *num.*2. Pignattel. *consult. canonic. tom.*1. *consult.*242. *num.*13., ac san. mem. Ben. XIV. *in opere de Canoniz. lib.*2. *cap.*23. *num.* 1., *circa med.*

ibi

ibi = *Nomine verò authenticorum documentorum in præsenti materia veniunt primo historiæ conscriptæ a viris fide dignis, qui eas composuerint centum annis ante constitutionem Urbanam, vel qui sæculo eodem decurrente sua ediderint monumenta, idque non solum si de cultu Servi Dei testimonium dicant, verum etiam si ejus virtutes, & miracula tantummodo enarrent, ipsum appellantes* Beati, vel Sancti *titulo, & si denominatio ista personam duntaxat respiciat, non mores &c.*

31 Altera publici cultus species residet in elevatione, & retentione sacrorum Corporum utriusque Beatæ in honorifico Altari, ac inter alias sacras Reliquias, veluti patet ex judiciali D. Judicis delegati visitatione, & descriptione dicti Altaris, & Cappellæ *Summ. num.*8. *pag.*43. *& seqq.*, & quamvis hæc ad præsentem Cappellam, seu Altare sacrorum Corporum collocatio peracta fuerit paucis ab hinc annis, nihilominus ponderatione dignum est, quod eadem sacra corpora ab immemorabili tempore, ac semper in futurum elevata supra terram publicam obtinuerunt venerationem, veluti de Corpore Beatæ Catharinæ patet ex judicio Peritorum, qui testantur de antiquitate capsæ retentæ supra terram in Ecclesia exteriori Monasterii, *Summ. pag.*75. §.16., *& pag.*81. §.39., ac de capsa Corporis Beatæ Julianæ retenta supra terram in Ecclesia interiori dicti Monasterii, *Sum. pag.*86. §.55. *pag.*87. *in fin.*, *& seq.*, *& pag.*90. §.69. Idemque resultat ex antiquo marmoreo lapide, in quo descriptæ leguntur sacræ Reliquiæ, quæ in eadem Monasterii Ecclesia coluntur, inter quas leguntur inscripta sacra utriusque Beatæ corpora, *Summ. pag.*75. §.15., *& pag.*81. §.38.; Item ex testamento condito a quondam Nicolao Cid Hispano anno 1648. qui summam ducatorum biscentum reliquit pro magnificentius ornandis iisdem sacris corporibus, *Summ. pag.*69. §.100. aliisque omissis, colligitur ex actis visitationum Archiepiscoporum Mediolanen., quorum particulæ describuntur *cit. Sum. pag.*64. *& seq.* §.101. *& seqq.*

32 Sanè hujusmodi visitationes Archiepiscoporum, præ cæteris omnibus documentis, monumentisque concludentissimam adstruunt probationem hujus speciei publici cultus, veluti colligitur ex iis, quæ leguntur in laudato opere san. mem. Bened. XIV. *cit. lib.*2. *cap.*23. *num.*1. *circa fin.* ibi = *Secundo, pro authenticis documentis habentur elationes sepulchri auctoritate Episcopali &c. Episcoporum visitationes ex archivo Episcopali depromptæ, ex quibus appareat, aliquid statutum, aut toleratum in honorem ejusdem Servi Dei fuisse* = Imò cum inter easdem Archiepiscoporum visitationes adsint personales, & propriæ S. Caroli Borromæi, qui in suæ visitationis actis non solum nihil innovavit circa publicum cultum nostris Beatis Dei Ancillis exhibitum, sed jussit, exhiberi a Monialibus testamentum quondam Equitis Pusterla, qui instituit celebrationem Missæ ad Cappellam Beatæ Catharinæ, hoc solum factum sufficit ad ostendendum non tantum, quod sacra Beatarum corpora supra terram elevata fuerint a tempore immemorabili, at insuper, quod hæc Causa versatur inter casus exceptos a Decretis Urbanis, tum attento immemorabili cultu per centum annos ante Urbanam Constitutionem, tum per scripta, & facta SS. Patrum, nempe per acta personalis visitationis S. Archiepiscopi Caroli, quo in casu optime ad rem conferunt ea, quæ idem san. mem. Bened. XIV. *cit. lib.*2. *cap.*19. *num.*6. *circa fin.* adnotat, ibi = *Quæ postrema assertio consona videtur menti bon. mem. Prosperi Bottinii Archiepiscopi Myrensis, meique meritissimi antecessoris in Fidei Promotoris officio, qui, cum ageretur de casu excepto infra memorando Servorum Dei, seu Beatorum Joannis de Perusio, & Petri de Saxoferrato, proindeque a Postulatoribus S. Antonini testimonium*

adduceretur de eorum morte pro Christo suscepta, sic inquit = Quartum do-
= *cumentum ex Chronicis S. Antonini profertur. Verùm in dicta Chronica*
= *minime vocantur Beati, seu Sancti, neque ex relatis in eadem resultat ali-*
= *quod signum publici cultus, & venerationis erga ipsos.* QUOD SI CONCURRERET UTIQUE, HOC UNICUM TESTIMONIUM S. ANTONINI SATIS ESSET AD SUSTINENDUM, HANC CAUSAM VERSARI IN CASU EXCEPTO EX LEGE DECRETORUM GENERALIUM PER PATRUM, VIRORUMQUE SANCTORUM SCRIPTA.

33 Tertia publici cultus species manifestissime eruitur ex imaginibus ræpræsentantibus utramque Beatam cum radiis, & laureolis, quæ imagines ab immemorabili usque ad præsentia tempora sic depictæ, ac expositæ in Altaribus, Ecclesiis, aliisque publicis locis tam intra, quàm extra Monasterii septa, tum in sacro Monte Varisii, tum in aliis locis a Fidelibus coluntur; de quarum Imaginum antiquitate testimonium peribent Periti in formali examine relato in *Summ. num.* 9. *pag.* 73. *ad* 100., ubi inter alias antiquissimas imagines, prætermissis illis, quæ intra centenariam, & post editam Urbanam Constitutionem depictæ reputantur; asserit primus Peritus Pictor, quod imago Beatæ Catharinæ existens supra coronam (*vulgo cornicione*) Ecclesiæ Monasterii S. Mariæ Varisii depicta fuerit initio anni 1500. *Summ. pag.* 76. §. 19. Alia ejusdem Beatæ Imago in prospectu Altaris majoris ab ipso Perito picta judicatur initio ejusdem anni 1500. *Summ. d. pag.* 76. §. 21. Alia ejusdem Beatæ imago existens extra Ecclesiam Monasterii supra fenestram circa annum 1500. depicta existimatur, *Summ. pag.* 77. §. 24. Imago utriusque Beatæ in Ecclesia interiori, seu choro Monialium reputatur depicta circa annum 1520., *Summ. pag.* 87. §. 57. Alia Beatæ Catharinæ imago in Oratorio Monialium picta dicitur anno 1525., *Summ. pag.* 88. §. 59. Imagines ipsius Beatæ Catharinæ initio illius vitæ manuscriptæ minio expressæ æstimantur anno 1501., *Summ. pag.* 88. §. 60., *&*. 61. Anaglyphon ejusdem Beatæ Catharinæ in antiquo Monialium Oratorio confectum reputatur circa annum 1500., *Summario pag.* 89. §. 64. Imago utriusque Beatæ supra cratem, ex qua Moniales audiunt Missæ Sacrificium depicta reputatur paulo post annum 1500. *Summ. pag.* 91. *ante* §. 72. Imago Beatæ Julianæ in pariete plateæ Oppidi Capsinæ Vergheriæ judicatur picta circa annum 1530. *Summ. pag.* 97. §. 100.; cum quo primo Perito convenit alter, *d. Summ. pag.* 97. *ad* 85., *pag.* 91. *ad* 95., *& pag.* 100.

34 Ex hisce autem imaginibus cum radiis, & laureolis in Ecclesiis, aliisque locis retentis publicus Ecclesiasticus cultus manifestissime ostenditur, & comprobatur; usus enim imaginum ex antiquo Ecclesiæ instituto signum venerationis, & cultus erga Dei Famulos præsefert, veluti firmant Joannes Molan. *de histor. Sacrar. Imagin. lib.* 2. *cap.* 52., *& lib.* 4. *cap.* 26. *prope fin.*, Cardinal. Belarmin. *de Imaginibus Sanctor. lib.* 2. *cap.* 10., Contelor *de Canoniz. Sanct. cap.* 22. *num.* 2., Scacch. *de not., & sign. sanctit. sect.* 9. *cap.* 6. *pag.* 713., Pignatell. *consult.* 227. *num.* 4., *& seq. tom.* 1., ac proinde casus exceptus a Decretis sa. me. Urbani VIII. fundatissime confirmatur, ut adnotat *cit.* Scacch. *d. cap.* 6. *pag.* 712., & solidissime probat sa: me: Ben. XIV. *d. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 9. ubi recensendo venerationis actus exhibitos alicui Ven. Di Famulo a tempore immemorabili, ex quibus resultat publicus Ecclesiasticus cultus, inquit, ibi = *Nec omittendæ sunt statuæ, atque imagines radiis, & splendoribus redimitæ, multò autem magis si ad publicam venerationem expositæ fuerint.*

Quar-

35 Quarta species publici cultus exhibiti Beatis Dei Ancillis promanat ex festivitate in illarum honorem semper celebrata, veluti non tantum asserunt Testes ex traditione Majorum, *Summ. num.* 10. *per tot.* Sed insuper habetur ex antiqua memoria scripta in charta pergamena, & appensa ad januam interioris chori Monasterii pro reducenda ad Monialium memoriam accensione luminum die festo earumdem Beatarum ob pium legatum relictum ad prædictum effectum, ut legitur *Summ. pag.* 103. §. 20. ibi = *si ricorda a voi Sorelle, come hauete obligo perpetuo d'illuminare tutte le vigilie, e feste della* Beata *Catarina, che viene alli* 6. *d'Aprile, e della* Beata *Juliana, che viene a* 15. *Agosto, e questo per certi danari lasciati da un Gentilhuomo* = quæ memoria scripta reputatur a Peritis ab antiquissimo tempore, *Summ. d. pag.* 103. §. 21. *&* 22. Addi ulterius debet quoad Beatam Catharinam, quod Communitas Hominum sacri Montis supra Varisium nuncupavit, & confirmavit votum celebrandi illius festum, *Summ. num.* 10. *pag.* 102. §. 18. Sane quod hujusmodi festi celebratio cum iis venerationis actibus, qui Sanctis conveniunt, ad publicum cultum referenda sit, neminem latet, & probant Castellin. *de certitud. glor. Sanctor. cap.* 2. *punct.* 55. *num.* 10., Scacch. *de not. & sign. sanctitat. sect.* 9., *&* 10. *cap.* 2. *p.* 796., Pignattel. *consult. canon. tom.* 2. *consult.* 242. *num.* 10., ac firmat sa: me: Ben. XIV. *cit. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 9.

36 Quinta species publici cultus præstiti nostris Beatis Dei Ancillis profluit tum ex asservatione illarum Reliquiarum inter alias Sanctorum Reliquias, tum ex illarum expositione venerationi Fidelium, quæ Reliquiæ, ultra sacra Beatarum Corpora existentia, ut supra ostendimus in exteriori Ecclesia Monasterii, coluntur in Ecclesiis Oppidorum Pallantiæ, & Vergheriæ, quibus dono datæ fuerunt, servatis omnibus solemnitatibus, prout resultat ex publicis instrumentis *Summ. num.* 11. *pag.* 104. §. 1. *ad* 6. *&* §§. *seqq.*, *ac pag.* 106. §. 13. *ad* 20. Profecto hæc religiosa Reliquiarum utriusque Beatæ asservatio inter alias Sanctorum Reliquias, earumque expositio publicæ Fidelium venerationi manifestissime demonstrat publicum Ecclesiasticum cultum, sicuti notant Durand. *de Ritib. Eccles. Cath. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 19. *in fin.*, Casal. *de veter. Eccles. Ritib. cap.* 58. *de cæremon. vers. ex prædictis*, Belarmin. *cit. tract. cap.* 10., Scacch. *de not. & sign. Sanctic. sect.* 10. *cap.* 1. *vers. cultus*, ac sa: me: Ben. XIV. *cit. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 9. ubi inter alia publici cultus signa legitur = *collocatio Reliquiarum inter Reliquias aliorum* Sanctorum.

37 Binæ demum circumstantiæ ponderatione dignæ concurrunt ad validius comprobandum cultum exhibitum Beatis Catharinæ, & Julianæ. Altera est, quod idem cultus per centum annos ante Urbanam Constitutionem inceptus sine ulla interruptione, aut diminutione prosequutus fuit, ac etiam perseverat cum augmento, veluti recensent Testes in Processibus examinati deponentes cum omnibus requisitis Gloss. *in cap. Episcopum verb. memoria de præscript. in* 6., & ut liquet *Summ. num.* 12. *pag.* 109. *& seq.*, Altera est, quod præfatum publicum cultum ab immemorabili tempore Emi Archiepiscopi pro tempore nunquam prohibuerunt, nec etiam tempore, quo edita fuit Urbana Constitutio, sed semper illum permiserunt, ac tolerarunt, imò approbarunt in publicis visitationibus, quarum acta, ut supra diximus, extant *Summ. pag.* 64., *& seq.*, §. 101., *& seqq.*, & inter eas, ut pariter innuimus, adsunt visitationes peractæ ab ipsomet S. Carolo Borromeo Pastore vigilantissimo ad prohibendos quoslibet ritus Ecclesiæ adversantes. Quanti verò facienda sit hæc Ordinariorum permissio, tolerantia, & approbatio, præsertim post edita Decreta generalia sa: me: Urbani

ni VIII. quisque facile intelligere valet, prout adnotat sa: me: Ben. XIV. *cit. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 11. Supponendum enim est, quod iidem pro tempore Emi Archiepiscopi adversari noluerint speciali, & rigidissimæ SS. Inquisitionis legi, ideoque asseri omninò deb et, quod ipsis plene constiterit de eodem legittimo publico cultu. Quamob rem matura ponderatione omnibus perpensis, evidentissime patet, sententiam a Judicibus delegatis a cl: me: Cardinali Benedicto Odescalço Med iolanensi Archiepiscopo latam super cultu publico ab immemorabili tempore, & per centum annos ante Decreta Urbana exhibito Beatis Catharinæ a Pallantia, & Julianæ a Busto Arsitio tam justis fundamentis fuisse innixam, ut ab EE. PP. sit eadem confirmanda, & proposito Dubio sit *affirmative* respon dendum, veluti confidimus, & humillime supplicamus.

Quare &c.

Lælius Pichi.

REVISA.

Aloysius Gardellini Sub-Promotor Fidei.